

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

62. Menstruum faetens simplex Riplei

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

62. Menstruum fætens simplex
Riplei,*Medulla phil. chym. pag. 170.*

R. **A**cutissimam humiditatem uvarum, atque in ea destillata dissolve in aquam crystallinam claram corpus bene calcinatum in rubeum, quod à Philosophis appellatur Sericon, de qua fiat gummi, quod gustu assimilatur alumini, & à Raymundo vocatur vitriolum azoqueum. Ex hoc gummi igne lento extrahitur imprimis aqua debilis, quæ gustu nullam habet acuitatem, non magis quàm aqua fontis. Et quando fumus albus incipit apparere, tunc muta receptorium, & luta fortiter, ut nullo modo possit expirare; atque ita recipies aquam tuam ardentem, Aquam vitæ, & menstruum resolutivum, quod antea erat resolubile. Hic est vapor potentialis, potens dissolvere corpora, putrefacere, atque etiam purificare, dividere elementa, & exaltare terram suam in salem mirabilem virtute sua attractiva. Et qui putant aliam esse aquam, de qua loquimur, præter hanc, errant in opere isto. Hæc aqua habet gustum acerrimum, & partim etiam odorem fatidum, atque ideo vocatur menstruum fætens: Et propterea quod sit aqua valde aërea, ideo *infra horam* postquam destillatur sive rectificatur, debet poni super calces suas. Quando verò superfunditur super calces prædictas, incipit ebullire. Tunc autem si vas fuerit bene clausum, non cessabit operari sine igne extrinsecus illi administrato, quousque exicetur in calcem. Quocirca non debet apponi illius major quantitas, quàm quæ vix sufficiat cooperire calces. Deinde verò ultra progredere ad totum complementum illius, sicut in opere aquæ compositæ. Et quando elixir reductum fuerit in colorem purpureum, dissolvatur in eodem menstruo, in oleum tenue prius rectificato, super quod figatur per circulationem spiritus aquæ nostræ, & tunc habet potentiam omnia corpora convertendi in aurum purissimum, & sanare omnes infirmitates corporis humani, plus quàm omnes potiones Hippocratis & Galeni. Nam hoc est

est verum Aurum potabile & non aliud, quod fit ex auro elementato artificioso, circumducto per rotam philosophiæ, &c.

Idem menstruum habetur in vade mecum Ripley.

63. Menstruum sericonis Ripley.

In Vade mecum, vulgo the Bosomebook.

Re. **S**ericonis vel antimonii libras triginta, ex quibus habebis gummi libras viginti vel circiter, modò acetum sit bonum; singulas libras istius sericonis solve in aceti bis destillati mensuris duabus (*a gallon*,) & cum aliquantisper steterit in digestionem, agita baculo puro materiam sæpiùs qualibet die, quò sæpiùs eò meliùs, liquorem filtra ter, fæces abjice, ut superfluum removendum, non intrans magisterium, id enim terra damnata est. Tum liquores filtratos in balneo Mariæ evapora temperato calore, & sericon nostrum coagulabitur in gummi viride, dictum *Leo viridis noster*, gummi istud exsicca bene, cavendo tamen, ne comburas flores ejus vel destruas viriditatem. Tum recipe dictum gummi, pone in retorta vitrea forti bene lutata, & destilla igne moderato aquam debilem abjiciendam. Verùm quam primùm videris fumum album ascendentem, appone recipiens vitreum amplum & capacitatis sufficientis, cujus orificium exactè collo retortæ conjungitur, quæ lutabis optimè, ne aliquid de fumo pereat vel evanescat ex recipiente. Tum per gradus augmenta ignem, donec fumus rubeus ascendat, & fortiorem ignem continuabis usque dum veniant guttæ sanguinæ, vel nullus amplius appareat fumus. Tum per gradus diminue ignem, omnibus jam frigefactis, remove recipiens, & subito claude ne spiritus evanescant, quoniam liquor hic, dicitur liquor noster benedictus, vase vitreo optimè clauso reservandus. Tum examina collum retortæ, ubi invenies glaciem quandam albam & duram, ad modum vaporis congelati, vel mercurii sublimati, quam cautè collige & serva, quoniam continet secreta magna de quibus inferius. Tum fæces ex retorta exime, nigras fuliginis instar, quæ dicuntur *Draco noster*, quarum libram unam vel amplius